



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Initium Sapientiae & Finis: Timor Domini, & Amor Dei: Seu  
de fuga peccati, deque dilectione summi boni**

**Comitin, César Jean-Baptiste**

**Coloniae, 1709**

Summa Capitis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50773)

Mater, non Filius placere potest. Elephanto sanguinem ostendis. In furorem agitur. Omnia pessumdat, suos, alienos, servos, filios, & filium filiorum JESUM Christum. Dicam hîc, quod immenso horrore compleat. Plus unica labes Deum exulcerat, quàm sanctorum placeant omnium omnia præclare facta, dicta, cogitata, perpessa, quæcumque olim aut fuêre, aut nunc sunt, aut postea erunt. Attende, quid asseverem. In alteram lancem congere Abrahama, Isaacos, Jacobos, Davides, Prophetas, Apostolos, Martyres, Virgines, sancta sacraque omnia; in alteram unum peccatum appende: prævalet hoc omnibus omnium bonis, præponderat & descendit. O pondus immensum! O te Atlante fortiolem! qui non cælum, sed inferos, sed omnibus inferis graviolem molem sustineas. Unde hoc, quæris? Offensa Dei est. En montes. En asinaria mola suspensa collo. Quantum enim Deus vertice ad auras æthereas, tantum ejus offensa radice in tartara tendit. Quem, quæso, ista, si non planè stipes est, & stipite omni stupidior, non percellant.

*Summa Capitis.*

Ergò ita digere. Vide 1. quæ Angeli pœna, temerariæ cogitationi inflicta. 2. Adami, ejus-

DE TIMORE DOMINI. 31

ejusque nepotum, unum ob pomum. 3. Quæ  
 mea, quæ tua apud inferos. 4. Quæ cæli ja-  
 ctura. 5. Qui fiat, ut neutrius æternitatis  
 supplicio satisfiat? neque omnium Angelo-  
 rum hominûmque votis & pœnis. 6. Unum  
 in cruce Deum huic malo parem. 7. Incre-  
 dibiles hîc quoque, dùm parcitur, multas  
 irrogari. 8. Vinci peccato omnia bona; imò  
 etiam omnia mala. Quare concludo: nihil  
 in mundo exitiosius esse homini; si tamen  
 homo est, qui peccat. Concludo: colubrum  
 esse in sinu, pestem animi, cancrum, mor-  
 tem, exitium, flammam, infernum, Megæ-  
 ram, & si quid pejus excogitari potest. Con-  
 cludo: cùm justissimus Deus personarum  
 acceptor non sit; quod in Angelo, quod in  
 patre nostro, quod in fratribus tam acerbè  
 punivit, id ipsum si in nobis nactus erit, æ-  
 quali pondere puniturum: imò jam fortè  
 punire. Concludo: quidquid agas, quam-  
 cunque in partem te vertas, seriùs ocyùs  
 luendum tibi est. Hîc vel illic, igne aut aquâ,  
 lacrymis vel flammis. Tua est optio.

CAPUT QUARTUM.

*Conclusio primi libri.*

**H**Abes, quæ sponponderam, momenta  
 rationum omnino quatuor supra vi-  
 ginti. Octo prima, ut initio dixi, te spectant.